

& benedicere & tangere Chrismate sine cunctatione potest, cujus est ipsum Chrismate consecrare. Hæc Innocentius, vir quidem sanctitate perinde ac scientia illustris. Ex cujus verbis constat non esse receptum (ut Lutherus somniat) hujus Sacramenti institutionem. Innocentius liquidem ante mille & centum annos Ecclesiæ universali præfuit, qui ex testimonio Jacobi Apostoli docet, infirmos oleo sancto debere ungi. Sed ad pleniorum hujus rei declarationem, attendat lector quid dicat Beda prædicta Jacobi verba interpretans in Commentariis super Epistolas Canonicas. Nam super illa verba: *Et orat super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*, hæc ait: Hoc & Apostolos fecisse in Evangelio legimus, & nunc Ecclesiæ consecratus tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur à Presbyteris, & oratione comitante sanentur. Nec solum Presbyteris, sed ut Innocentius Papa præscribit, etiam omnibus Christianis uti licet eodem oleo in sua, aut suorum necessitate ungento. Quod tamen oleum non nisi ab Episcopo licet consecrari. Nam quod ait: *Oleo in nomine Domini*, significat oleum consecratum in nomine Domini. Vel certe quia etiam cum ungitur infirmum, nomen Domini super eum invocare debent. Hæc Beda. In quibus verbis etiam annotare oportet illa duo, quæ supra annotavimus in aliis verbis illius ex Commentariis super Marcum. Sed illud Innocentio ubi concedit omnibus Christianis, ut hoc oleo benedicto possint uti, in sua, aut suorum necessitate ungento, sic intelligendum est, quod permittitur cuilibet Christiano, ut necessitate occurrente se, aut alios illo oleo ungento possit, si illum ad hoc faciendum movet devota olei illius affectio, & ideo sperat ex illo salutem assequi posse. Non tamen est sic intelligendum, quod quilibet Christianus sic ungens oleo illo infirmum, consecrat Sacramentum unctionis: quia Papa non potest hoc concedere cuilibet Christiano, ut possit esse minister hujus Sacramenti, quod ex institutione divina à solo Sacerdote ministrari potest. Quod autem hoc solum concesserit Innocentius, ex ipsius Innocentii verbis, quæ proxime citavimus, facile colligi potest. Nam solum concessit ut oleo ungerent, non autem ut verba quibus hoc Sacramentum consecratur, dicerent. De qua re opus fuit admonere lectorem propter calumnias Calvinii. Nam Dico, apud Marcum quidem infirmum, per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. *Infirmum*, inquit Jacob 5. *quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orat super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus verbis, ut Apostolica traditione per manus accepta Ecclesiæ didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum hujus salutis Sacramenti. Intellexit quidem Ecclesiæ, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum: nam unctio apertissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aggratantis inungitur, representat: formam deinde esse illa verba: Per istam unctionem, &c. Res porro & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: *Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Res etenim hæc, gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc extirpanda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordie fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantes facillius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expediret, conse-

Episcopum benedictum. Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timeatur, dari non debet: qui in his locis ungentus est, in oculis propter visum: in aëribus propter auditum: in naribus propter odoratum: in ore propter gustum, vel locutionem: in manibus propter tactum: in pedibus propter gressum: in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus Sacramenti est hæc: Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum: & similiter in aliis membris. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos: effectus vero ejus est mentis sanatio, & in quantum animæ expedit, etiam corporis. Hæc tamen Concilium Florentinum. Sed multo locupletius & apertius de hoc Sacramento differuit Concilium Tridentinum, quod in sessione quarta, sub Julio tercio celebrata (fuerunt enim in eodem Concilio alie plures sessiones sub Paulo tercio illius prædecessore) hanc deinde circa hoc Sacramentum doctrinam. Visum est autem sanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de penitentia adjungere ea quæ sequuntur de Sacramento Extremæ unctionis, quod non modo penitentia, sed totius Christianæ vitæ, quæ perpetua penitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patribus. Primum itaque circa istius institutionem declarat & docet, quod Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramento aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros dum viverent ad omni graviori spiritus incommodo possint: ita Extremæ unctionis Sacramento finem vitæ tamquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etiam ad veterarios noster occasiones per omnem vitam querat, & capiet, ut devotare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes sua: sollicitudines intendat ad perdendum nos penitus, & à fiducia etiam si possit, divinæ misericordie deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ prospicit. Instituta est autem hæc unctio infirmorum, tamquam vere & proprie Sacramentum novi Testamenti à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem infirmum, per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. *Infirmum*, inquit Jacob 5. *quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orat super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus verbis, ut Apostolica traditione per manus accepta Ecclesiæ didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum hujus salutis Sacramenti. Intellexit quidem Ecclesiæ, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum: nam unctio apertissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aggratantis inungitur, representat: formam deinde esse illa verba: Per istam unctionem, &c. Res porro & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: *Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Res etenim hæc, gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc extirpanda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordie fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantes facillius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expediret, conse-

quitur. Jam vero quod attinet ad præscriptionem eorum, qui & suscipere & ministrare hoc Sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis traditum. Nam & ostenditur illic proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiæ Presbyteros, quo nomine eo loco non ætate seniores, aut primores in populo, intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum Presbyteri. Declaratur etiam esse unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur, unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convalescerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, quum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam & dilucidam beati Apostoli Jacobi sententiam docent, hanc unctionem, vel signum esse humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem, & qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva Ecclesiâ referenda esse: & qui dicunt ritum & usum quem sancta Romana Ecclesiâ in hujus Sacramenti administratione observat, Jacobi Apostoli sententiæ repugnare, atque ideo in alium commutandum esse: & denique qui hanc Extremæ unctionem à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant.

Hæc enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profecto Ecclesiâ Romana aliorum omnium mater & magistra aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea quæ ad hujus Sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod beatus Jacobus præscripsit: neque vero tanti Sacramenti contemptus abique ingenti scelere, & ipsius Sancti Spiritus injuria esse potest. Hæc tamen doctrina Concilii Tridentini. Verum ne quis contra illam doceat, aut quovis modo loqui temere audeat, quatuor canones latam anathematis sententiam continentes contra hujusmodi temerarios assertores protulit, & sunt qui sequuntur.

Si quis dixerit, Extremam unctionem non esse vere & proprie Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à Jacobo Apostolo promulgatum: sed ritum tantum acceptum à patribus, aut signum humanum, anathema sit.

Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, neque remittere peccata, neque alleviare infirmos: sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.

Si quis dixerit, Extremæ unctionis ritum & usum, quem observat sancta Romana Ecclesiâ repugnare sententiæ beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque à Christianis, absque peccato contemni, anathema sit.

Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum ungentum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos: sed ætate seniores in quavis communitate, ob id proprium Extremæ unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.

Hi sunt Canones Concilii Tridentini de Extremæ unctionis Sacramento. Inter quos primus à Catholicis annotandus est, ut ex illo intelligatur, rejectam esse illam sententiam quorundam Theologorum Scholasticorum dicentium, Sacramentum Extremæ unctionis à beato Jacobo institutum. Quæ sententia, ut in principio hujus

capitis dixi, nunquam mihi placuit: & quamvis ante Concilii hujus definitionem, absque crimine hæresim eam tueri non licet. Sed opus est, ut hæreticorum objectionibus respondeamus, quamquam illæ tam ridiculæ sunt, ut responsione indignæ merito censeri possint. Calvinus in illo loco supra citato, hæc objicit nobis: Cur non aliquam natoriam Siloe desinitur, in quam certis temporum vicibus se immergant male habentes? Cur non mortuis incubant, quoniam puerum mortuum illi incubando suscitavit Paulus? Cur non lutum ex spuio & pulvere sacramentum est? Hæc Calvinus. Et eodem argumento se teneat Vvirtembergenses in confessione fidei quam obulerunt in Concilio Tridentino. Hæc Lutherorum omnium argumentum manifestissime ostendit illorum omnium ignorantiam: quia sic argumentantur, quasi nos ideo solum dicamus Extremam unctionem esse Sacramentum, quia Apostoli illa ungentes sanabant corporum infirmitates. Nos tamen non ideo unctionem dicimus esse Sacramentum: quia Apostoli unctione illa ægrotis sanitatem corporis conferebant, sed quia sic corpora sanantes, animam ad bonum per gratiam roborabant, quam Deus illis ægrotis per Apostolorum ministerium tunc dabat, & nunc per aliorum Sacerdotum ministerium confert. Lutum illud, quo cæcus unctus est, nullam habuit sanandi virtutem, aut si aliquam habuit, tunc solum illam continuit, cum Christus illo linito oculos cæci: neque postea illo cæco dedisset visum, etiam si illo aliquis alius linitus & postea in natoria Siloe lotus fuisset. Esto cæcis corporis visum dedisset, non tamen perinde animæ gratiam contulisset: quia Deus nullam de his dederat promissionem, & ideo Sacramentum dici non potest, cum absit divina promissio de donatione gratiæ. Et idem per omnia de natoria Siloe dicimus. At unctio illa qua Apostoli ungebant infirmos, usque ad finem sæculi durat, & æqualem semper circa animam, ad quam potius quam ad corpus respicit, habebit virtutem ex Dei promissione, quam ipsemet Deus per Jacobum suum ministrum & præconem manifestavit. *Et si in peccatis sit, inquit Jacobus, remittentur ei.* Ecce Dei promissio: quia talis peccatorum remissio non nisi à Deo donari potest, neque unquam sine gratiæ collatione donatur. Nunquam autem tantum Apostolus illam promissionem remissionis peccatorum fuisset ausus dare, nisi Deo inspirante, qui solus remissionem peccatorum dare potest. Et hinc apertissime convincitur, mendacium Vvirtembergensium, qui in sua fidei confessione de Extremæ unctione differentes, dicunt, non extare ullum verbum Dei quod promittat, divulgato Evangelio Christi externam unctionem valere ad delenda peccata. Secundo sic objicit Calvinus: Affirmant quidem eandem etiam nunc vim suæ unctioni inesse: sed aliter experimur. Hæc ille. Et idem dicunt Vvirtembergenses in suæ fidei confessione. Et isti omnes etiam in hoc argumento suam miseram ignorantiam ostendunt perinde ac in præcedenti. Sic enim argumentantur, ac si nos diceremus, effectum indubium hujus Sacramenti, & verum illius signatum esse corporis sanitatem: & ideo dicunt se certa experientia cognoscere, non esse talem vim conferendæ sanitatis corporalis in hoc Sacramento, quia vident multos qui post susceptam unctionem magis à sua ægitudine gravantur, tantum abesse ut sanentur. Sed nos dicimus indubium hujus Sacramenti effectum esse animæ consolationem & robur per gratiam quam Deus semper, nisi malitia obset, animæ

præsentis temporis adjuncta, non sic accipienda est, ut solum neget actum præsentis temporis, sed ut dicat votum de negatione actus in posterum. Nam aliqui nulla suberat dubitationis causa, & sine occasione quævisse videtur, quoniam ut mulier quæ numquam antea virum cognovit, in posterum concipiat, non est quid difficile, neque illa duo vel in speciem pugnare inter se videntur. At votum de perpetua virginitate, & concipere, velut ex diametro pugnare videntur. Ideo merito querit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? hoc est, numquam me virum cognituram sponendi. Hunc autem esse verum & germanum literæ sensum testantur aliqui Doctores sacri. Beatus Bernardus homilia quarta super Evangelium: Missus est, sic ait: „Non dubitat de facto, sed modum requirit & ordinem. Nec enim querit an sit istud, sed quomodo. Quasi dicat: Cum sciat dominus meus testis conscientie meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placet ei ut fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito. Fiat tamen voluntas ejus.“ Hæc Bernardus. Et venerabilis Beda in homilia ejusdem Evangelii, sic ait: „Quomodo (inquit Maria) fieri potest ut concipiam, pariamque filium, quæ in castimonia virginitatis vitam consummare disposui? Non autem quasi incredula, la verbis Angeli, quomodo hæc impleri valeant requirit, sed certe quia oporteret impleri quod & tunc ab Angelo audiebat, & prius à Propheta dictum legerat: sed quo id ordine implendum sit, interrogat: quia videlicet Propheta qui hoc futurum prædixit, quomodo fieri posset, non dixit, sed Angelo dicendum reservavit.“ Hæc Beda. Et B. Augustinus libro De sancta virginitate, cap. 4. de Virgine Deipara loquens, sic inquit: „Ipsa quoque virginitas ejus gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conservaverat ipse præcipuit, sed priusquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua naceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi sœrum annuntianti Angelo Maria reddidit. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profecto non diceret, nisi Deo virginitatem ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores ad huc recusabant, desponsata est viro justo, non violento, ter ablatur, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat.“ Hæc Augustinus. Ecce protulimus trium sacerdotum Doctorem testimonia, ex quibus apertissime constat Virginem Deiparam emisisse votum de perpetua virginitate servanda. Hoc etiam votum creduntur emisisse Apostoli de paupertate servanda, quando relicta omnibus secuti sunt Christum. Sic enim sentit Augustinus, qui libro 17. De Civitate Dei, cap. 4. ita inquit: Dixerant enim potentes illi: (Matth. 19.) *Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.* Hoc votum potentissimi voverant. Sed unde hoc illis, nisi ab illo de quo dictum est: dans votum voverit? Hæc Augustinus. Rursum, hoc ipsum apertissime comprobatur ex beati Pauli testimonio, qui in priore ad Timoth. epistola cap. 5. sic ait: *Adolescentes viduas debita. Cum enim luxuriata fuerint, in Christo nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quid est dicere, primam fidem irritam fecerunt (Hoc est, quod votum, quod in viduitate miserant de continentia servanda, violaverunt, cum post tale votum emisissent nuperunt. Et si Paulus dicit viduas juniores habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: quid dicitur esse de Lutheris,

Oecolampadio, Conrado Pellicano, Lamberto, Martino Batzero, aliisque ejusdem farinae hominibus, qui rejecta cuculla quam semel induerunt, contempto voto quod Deo voverant, tanquam uxor Loth respexerunt retro, uxores ducentes? Sed hæc verba Pauli, quamvis clarissima sunt, hæretici in alium sensum à litera & mente Pauli longissime disantem detorquebunt conantur. Nam Calvinus in illo suo opere De institutione Christianæ religionis, capite quarto ubi de votis differit, obiciens contra suam sententiam præfata Pauli verba, illis respondens, hæc quæ sequuntur ait: Ego vero illis minime nego viduas, quæ sese suasque Ecclesiæ operas addicebant, perpetui cœlibatus legem suscepisse non quia in eo religionem aliquam sternerent, ut postea fieri ceptum est: sed quoniam nisi sui juris, & jugo maritali soluta, functionem illam sustinere non possent. Quod si data fide ad novas nuptias respicerent, quid hoc erit aliud quam Dei vocationem excutere? Non igitur mirum quod talibus desideris lascivire in Christum eas dicit. Postea vero amplificandi causa subjungit, adeo ipsas quod Ecclesiæ pollicite sunt, non præstare, ut primam quoque fidem in baptismo datam violentam irritam faciant, in qua hoc comprehenditur, ut vocationi quævis suæ respondeat. Et aliquibus interpositis subdit. Sed primum nego, alia ratione professas esse cœlibatum, nisi quia conjugium, cum ea quam substant functione minime conveniret: ac omnino se ad cœlibatum aditroxisset, nisi quatenus ferret vocationis suæ necessitas. Deinde, ita obligatas non concedo fuisse, quin illis tunc quoque salvis nubere, quam vel carnis aculeis sollicitari, vel in aliquam probali obsecrationem. Hæc Calvinus. Quibus verbis ut priorem sententiam, quam temere prouulerat contra votorum obligationem, teneatur, mendacium mendacio addit. Dicit itaque fidem illam, quam primo viduas dedisse ait Paulus, esse fidem Christianæ religionis in baptismo promissam, & non votum castitatis perpetuo servandæ, quamvis fatetur illas, quam ad ministerium Ecclesiæ fuerant electæ, accepisse castitatis servandæ conditionem, non tamen se ad perpetuam illius observationem obligasse. Sed hæc Calvinus interpretatio longissime distat à Pauli litera. Nam Paulus in illo loco differit de viduarum electione, & docet, ut notissimum est, quales oporteat esse viduas quæ sunt intelligendæ: inter cætera præscribit ætatem sexaginta annorum: quia ætas illa, ut in plurimum, caret improbis carnis sollicitationibus, & ideo aptior est ad castitatem servandam. Ob eandem causam præcipit juvenulas viduas non esse eligendas: quia ætas illa ferret ad libidinem, præsertim in illis quæ carnis delicias sunt semel expertæ. Et hinc evenit, ut carne nimium stimulante facile luxuriarent: quod cum contigerit, nubere volunt, ut carni placeant. De his autem sic nubentibus dicit Paulus eas habere damnationem: causam autem hujus damnationis dicit esse, quia primam fidem irritam fecerunt. At fides data in baptismo non fuit promissio de non nubendo, sed de observatione mandatorum Dei, inter quæ nullum est de viduali castitate perpetuo servanda: ergo viduæ illæ non fecerunt irritam fidem in baptismo datam, propterea quod nuperunt. Et inde apertissime convegitur, ut fides illa quam viduæ nubentes violaverunt, non sit alia quam votum de servanda castitate viduali. Et huic interpretationi favent omnes sacri Doctores qui de illis Pauli verbis ullam fecere mentionem, quorum cullibet multo justius est credere quam mille Calvinis, aut Lutheris, aut quibusvis aliis similis farinae hominibus.

Augustinus in multis variisque locis hanc reddit prædictis Pauli verbis interpretationem, sed apertius in expositione Psalmi 75. interpretans illa verba: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*, ubi hæc ait: Quisque quod voverit voluerit, voveat: illud attendat, ut quod voverit, reddat uniusquisque Deo. Quod voverit, si respicit retrorsum, malum est. Nescio quæ castimonialis nubere voluit. Quid voluit? Quod & virgo quælibet. Quid voluit? Quod & mater ipsius. Aliquid male voluit? Male plane. Quare? Quia jam voverat Domino Deo suo. Quid enim dixit de talibus Apostolus Paulus, (1. Cor. 7.) cum dicit viduas adolescentulas nubere si velint? Sed tamen ait quodam loco: *Beatorum autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium.* Ostendit beatiorem si sic permanserit, non tamen damandam, si nubere voluerit. Quid autem ait de quibusdam quæ voverunt, & non reddiderunt? *Habentes*, inquit, *damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quid est, primam fidem irritam fecerunt? Voverunt, & non reddiderunt. Et paucis interjectis subdit: Vidua quæ jam sic permanere voverat, voluit nubere. Hoc voluit quod licuit ei quæ nupsit: sed illi non licuit, quia de loco suo retro respexit. Hæc Augustinus. Et in libro de sancta virginitate, capite 33. iterum ait: Curiosas & verbosas malas nuptas Paulus Apostolus notat, & hoc vitium dicit venire ex otio. Simul autem, inquit, & otiosæ descunt circumire domos, non solum autem otiosæ, verumetiam curiosæ & verbosæ, loquentes quæ non oportet de his superius dixerat: *Juniores autem devota.* Cum enim in delictis egerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id est, in eo quod primo voverunt, non steterunt. Nec tamen ait, nubunt, sed nubere volunt: multas enim earum revoocat à nubendo, non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor, veniens & ipse à superbia, quæ formidatur magis hominibus displicere quam Deo. Hæc igitur quæ nubere volunt, & ideo non nubunt, quia impune non possunt, quæ melius nubentem quam uterentur, id est, quam occulta flamma concupiscentiæ in ipsa concupiscentia vastarentur, quas pœniter professionis, & piger confessionis, nisi correctum cor dirigant, & Dei timore rursus libidinem vincant, in mortuis deputandæ sunt. Hæc Augustinus. Ex cuius verbis constat, primam fidem, de qua Paulus in prædictis verbis locutus est, non esse promissionem in baptismo factam, sed votum continentie, contra quod agunt non solum viduæ quæ post tale votum nubunt, sed etiam quæ nubere volunt, & illas dicit esse inter mortuas computandas. Augustino consentit in hac parte Primas illius discipulus, qui interpretans illa Pauli verba: *Habentes damnationem*, &c. hæc ait: Quæ se viduas promiserant permanuras. Hæc vero regula non solum in viduis, sed etiam in virginibus continentibus, quæ primam fidem irritam fecerunt, intelligenda est. Hæc ille.

Isidorus libro secundo De officiis Ecclesiasticis, capite decimo octavo eodem modo prædicta Pauli verba interpretatur, sic dicens: Prædicat autem idem Apostolus damnationem habere viduas quæ post propositum continentie nubere cupiunt. Cum enim, inquit, luxuriata fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, id est, quia in eo quod primo voverunt, non steterunt. Hæc Isidorus. His omnibus consentit Hieronymus illis vetustior, qui libro primo contra Jovinianum, interpretans illa verba Pauli: (1. Cor. 7.) *Si nupsit virgo, non peccat*, hæc

ait: „Non illa virgo quæ semet Dei cultui dedicavit. Hæc enim, si quæ nupsit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Si autem hoc de viduis dictum objecerit Jovinianus, quanto magis de virginibus prævalebit, cur enim his non liceat, quibus aliquando licuit? Virgines enim, quæ post consecrationem nupsent, non tam adulteræ sunt quam incestuæ. Et in commentariis super caput 44. Ezechielis iterum ait: *Qui cumque aliquid voverit & non impleverit reus voti est.* Unde & de viduis dicitur, cum luxuriata fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Melius est enim non promittere, quam promittere & non facere.“ Hæc Hieronymus. Neque latum ut dicitur, pilam ab his discedit Ambrosius, qui in commentariis super Paulum interpretans illa verba: *Cum luxuriata fuerint, in Christo nubere volunt*, hæc ait: „Prohibet adolescentulas viduas, in hac suscipi professione. Lubricæ enim ætatis facile haberi non debet: quippe cum quarundam exemplis præcedant, quæ post professionem vitæ, delictiarum oblectationem nomen, non opera viduitatis habent, & conversæ nuptiis sollicitantur. Et postea interpretans illa verba, *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, hæc ait: Quid maneat tales ostendit, ne facile audeant quod implere difficile est: aut si animus est huic devotioni deditus, apud se interim teneat: quia dicit temerarium esse profiteri quod adhuc juvenili ætati credi non debet.“ Hæc Ambrosius, qui satis aperte declarat, fidem illam, quam adolescentulæ viduæ fecerunt irritam, esse continentie professionem: & quia illam violaverunt, dicit illas habere damnationem. Basilium magnus sanctissimus perinde ac doctissimus in libro De virginitate, cap. 55. hæc ait: „Quum inordinate se gesserint erga Christum, nubere volunt, habentes judicium, quia fidem reprobaverunt: non nuptias, sed adulterium, per vitam male persequentes. Nullus igitur servus in tantam impietatem simuletur, ut hærem sponfam contrectet. Nullus adeo furiosus sit sacrilegus, ut impolitam Sacerdotem petulantibus manibus contingat.“ Hæc Basilium ille magnus. In quibus id attendat lector, quod virginem Deo dicatam appellavit Sacerdotem impollutam: quia cum Deo virginitatem promissit, sui corporis sacrificium fecit, illudque Deo obtulit. Eodem modo interpretatur illa verba Chrysostronus homilia 19. super priorem epistolam ad Corinthios, cuius verba inferius in alium finem citabuntur in hoc eodem capite. Post sem adhuc plures alios sanctos & pervetustos Ecclesiæ Doctores pro hac re in testimonium citare, qui omnes prædicta Pauli verba interpretantur de voto continentie, & non de fide in baptismo data: sed ne prolixitate nimia fastidiret lectorem, illos omnes prætermittere decrevi, præsertim quia isti satis sunt ad convincendum Calvinum & reliquos Lutheranos de prava intelligentia verborum Pauli. Nam justum est, ut in rebus fidei, & in interpretatione sacræ scripturæ potius his sanctis viris sanctitate perinde ac doctrina clarissimis, quam Calvino & Lutero & reliquis omnibus ejusdem farinae credamus. Neque singuli sacri Doctores seorsum scribentes verba illa Pauli, ut diximus, interpretantur: sed aliquot Concilia, in quibus multi viri doctissimi congregati sunt, ita illa verba intelligenda esse docuerunt. Nam Concilium quartum Carthaginense, in capite ultimo suorum decretorum, ita ait: Sicut bonum castitatis prædicandum, ita & majori observantia & præceptione custodiendum est, ut si quæ viduæ

quantumlibet adhuc in minoribus annis positæ, & matura ætate à viro relicta se devoverunt Domino, & veste laicali abjecta sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ, religioso habitu apparuerunt, postea vero ad nuptias sæculares transferunt, secundum Apostolum damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam Domino voverunt, irritam facere ausæ sunt. Tales ergo personæ sine Christianorum communione maneat, quæ etiam nec in convivio cum Christianis communicent. Nam si adulteræ conjuges reatu sunt viris suis obnoxie: quanto magis viduæ quæ religiositatem mutaverunt, crimine adulterii notabuntur, si devotionem, quam Deo sponte obtulerunt, libidinosa corrupterint voluptate, atque ad secundas nuptias transiunt fecerint? Quæ etsi violentia irruente ab aliquo præcepta fuerint, ac postea delectatione libidinis permanere in conjugium raptori vel violento viro consentierint, damnatione superius comprehensa teneantur obnoxie. De talibus ait Apostolus: *Cum luxuriatæ fuerint, habere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Hucusque Concilium quartum Carthaginense. Et Concilium Toletanum quartum, capite 53. sic inquit: Duo sunt genera viduarum, sæculares, & sanctimoniales. Sæculares viduæ sunt, quæ adhuc disponentes nubere, laicalem habitum non deposuerunt. Sanctimoniales sunt quæ jam mutato habitu sæculari, sub religioso cultu in conspectu Sacerdotis & Ecclesiæ apparuerunt. Hæc si ad nuptias transferint juxta Apostolum, non sine damnatione erunt, quia se primum Deo voverunt, postea castitatis propositum abjecerunt. Hæc Concilium Toletanum quartum. Ex quorum duorum Conciliorum verbis constat hanc esse Apostoli Pauli sententiam, viduas videlicet quæ perpetuam castitatem Domino voverunt, fore damnandas si ad secundas nuptias transferint. Et certe quod nuptiæ eorum qui semel se Domino devoverunt, sint damnandæ, plurima testantur Concilia. Nam Concilium Valentinum, capite secundo suorum decretorum, sic ait: De puellis vero quæ se Deo voverunt, si ad terrenas nuptias sponte transferint, id custodiendum esse decreverimus, ut penitentes non statim ad penitentiam recipiantur, & cum data tamen fuerit, nisi plene satisfecerint Deo in quantum ratio poposcerit, eisdem communio differatur. Hæc ibi. Et Concilium Araicense, cap. 27. sic definit: Ut viduitatis observandæ professione coram Episcopo in secretario habita, impositam à Presbytero vestem vidualem non esse violandam. Ejus vero repudiatorum, vel ipsam talis professionis deserticem merito esse damnandam. Et cap. 28. idem Concilium iterum ait: Hi vero qui sunt desertores professæ castitatis prævaricatores habendi, & omnibus per penitentiam legitimam consulendum. Hæc ibi. Multaque alia sunt Conciliorum decreta huic faventia propositio, quæ citare omisi, ne nimia prolixitate gravarem lectorem. Verum quia aliquis forte ea legere desiderabit, loca solum lectori designabo ubi illa invenire possit. Concilium Aurelianense, cap. decimosextimo. Concilium Eliberrinum, cap. 13. Concilium Toletanum quartum, capitibus quadagesimo octavo & quinquagesimo primo. Ex his omnibus patet quam injuste aliqui votis monasticis conantur inferre calumniam: quoniam si de aliqua re perpetuum votum emitti licet, multo justius id licebit de illis tribus rebus per quas triplex mundi hujus concupiscentia prosternitur, videlicet obedientia, castitate, & paupertate. Nam per obedientiam superbia vitæ edomatur. Per castitatis votum carnis concupiscentia coercetur. Per votum vero pauper-

tatis illa insatiabilis concupiscentia, oculorum cõhibetur. Unde convincitur, ut si noxia sunt ille tres mundi concupiscentiæ, salutifera contra sint tria quæ in monachatu emittuntur vota, quoniam hæc velut quadam antidota sunt adversus illa tria quæ mundus propinat venena: præsertim quod hæc tria de quibus sunt monachorum vota, sunt valde à Christo commendata. Nam obedientiam commendavit, (*Matth. 16.*) dicens: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Non enim potest quis verius seipsum abnegare, quam cum se totum superioris arbitrio committit, ut non suam jam velit facere voluntatem, sed sui superioris. Castitatem perpetuam extulit, dicens: (*Matth. 19.*) *Sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum celorum, qui potest capere, capiat.* Paupertatem vero commendavit, cum dixit: (*Ibidem.*) *Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, & habebis thesaurum in celo.* Quomodo tam aperta sint testimonia vota monastica comprobantia, vereantur Lutherani Monachi respicere retro ad sæculum, cum jam femel manum ad aratrum miserint: (*Luc. 9.*) & caveant ne illis contingat quemadmodum uxori Loth, (*Gen. 19.*) quæ de Sodomitæ exiens, conversa est in statua salis, eo quod retrorsum ad Sodomitam unde exierat, respexit. Cum enim unus ex discipulis suis dixisset Christo: (*Mat. 8.*) *Dimitte me ut sepeliam patrem meum: respondit illi Christus: Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Quæ verba interpretans Theoph. ait: Si autem illis nec patrem sepelire licuit, vae his qui monasticam professi, ad mundana regrediuntur negotia. Hæc ille. Vae ergo libidinoso Luthero, ejusque complicitibus qui monasticam professi, suæ professionis immemores ad sæculum redeunt, uxores duxerunt. Ex duobus quoque probanda suscepimus adversus hos hæreticos, jam unum eorum (ut existimo) absolvimus. Superest jam ut alterum probemus, opus videlicet ex voto factum, esse melioris conditionis, majorisque apud Deum meriti, quam si fieret sine voto. Divinus Paltes suadet nobis ut Domino Deo aliquid voveamus, dicens: (*Psal. 75.*) *Vovete & reddite Domino Deo vestro: omnes qui in circuitu ejus adferitis munera.* At si nullum ex voto, accresceret meritum voventi, male consuleret Propheta ut voveremus: præsertim cum non reddentes, rei fiant eorum, quorum non essent rei si non vovissent: & ita, juxta hæreticorum sententiam, vovens exponeret se per votum periculo peccati si non reddat, & sub nulla spe præmii si reddat. Si ergo ista esset voti conditio, aperte convincitur male egisse Prophetam cum votum consulit. Præterea quanto aliquid opus à meliore virtutis radice oritur, tanto melius est. Nam irde est quod opus ex charitate factum sit melius, quam quodvis opus ex alia virtute procedens: quia videlicet charitas à qua procedit, melior est quavis alia virtute. Non enim aspiciat Deus quantum quis offerat, sed ex quanto. Et ideo laudata est vidua illa, quæ cum solum duo minuta obtulisset, dicta est obtulisse plus omnibus aliis. Ex quo aperte convincitur, apud Deum non tam æstimari rei oblata quantitatem, quam ipsius effectus affectum. Cum ergo opus ex voto factum procedat ex radice obedientiæ, quæ melior est quam viciniam: opus autem simile libere & non ex voto factum, ex illa virtute non oritur, sequitur ut hoc non sit ita bonum sicut illud. Nam is qui ex voto aliquid facit, obediens facit, & ut obediens facit: ergo cum sic facit, per meritum quod habet respondens operi, habet jam meritum ex obedientia: quod meritum alius non habet qui libere ali-

quid

quid facit. Rursum, pro hac re sunt plurima sacrorum virorum testimonia. Beatus Hieronymus pertractans illud Hieronimæ in Threnis, cap. 3. *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua*, hæc ait: Militum ergo Christi perfectio est exuram mentem habere à cunctis terrenis negotiis, & tumultu sæculi, juxta illud Apostoli: (*1. Tim. 2.*) *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*, & cætera: eamque quantum humana imbecillitas finit, festinat venire cum Christo: quam quidem speciem conversationis boni eremite, & monachi qui voto monasticæ disciplinæ obligati sunt, imitari contendunt: sed rara est, & paucissimis dono Dei hæc perfectio concessa. Is enim vere & non ex parte perfectus, qui & in eremo squalorem solitudinis, & in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustinet. Et ideo in utraque professione per omnia consummationem invenire difficile est: quia nec anchora contemptum ac privationem materialium rerum, nec cœnobita theoreticam ad integrum potest assequi puritatem. Sed tamen quantum superexcellat serenitas tranquille vitæ turbulentiæ sæcularis conversationis, novit qui hanc expertus est. Hactenus Hieronymus. In quibus verbis multa sunt notata digna. Primum est quod tempore Hieronymi monachi se voto astringebant, quod tamen Erasmus Rotherodamus pertinacissime negat in plerisque suis operibus, præsertim in vita Hieronymi quam idem Erasmus scripsit.

At non ita esse ut Erasmus ait, verba quæ nunc ex Hieronymo citavimus, aperte convincunt. Secundum est, quod talis monachorum vita voto obligata, est bona, & ad imitationem perfectionis Christianæ. Tertium est, quod hæc monachorum vita præferenda est vitæ aliorum qui sæcularibus miscentur negotiis. Et hoc est quod nostro proposito deservit, quod etiam Erasmus negare non erubescit. Nec tamen miror: quoniam hoc experientia docente cognovimus, nullum esse acerbiorum & magis infestum hostem aliquorum, quam qui transfuga & desertor ab illis defecit. Erasmus autem monachatum, quem semel voverat, rejecit non erubuit, & hinc venit ut monachis semper detraheret, & illos quoad licuit atrocissime persequeretur: ut vel hoc argumento aliis persuaderet se bene fecisse cum monachatus jugum, quod semel susceperat, rejecit. Et tamen Hieronymus bonum esse judicat portare hoc monachatus jugum.

Sed, ut apertius hoc monachatum aliosque Monasticæ professionis hostes de impudentissimo mendacio convincam, alium testem multo Hieronymo vetustiorum proferre volo. Divum videlicet Dionysium Areopagitam Pauli discipulum, qui in libro Ecclesiasticæ Hierarchiæ, capite sexto, describens ritum consecrationis professionisque monasticæ, qualis à Apostolis institutus tunc servabatur in Ecclesiâ, sic ait: Perro purgandorum omnium excelsior & sublimior est ordo monachorum facta dispositio, aut sancta distinctio. Expiatione omni, tota virtute, atque exactissima suarum operationum castitate mandata, &c. Inde divini duces nostri appellacionibus eos sacris dignati sunt, partim Therapeutas, id est cultores, à sincero Dei famulatu & cultu: partim monachos, ab individua & singulari vita uni Deo intenta, appellantes: tamquam quæ sanctis complicationibus, aut convolutionibus inseparabilibus, illos ipsos in divinam, & Deo gratam unitatem promoveant. Quapropter & perfectientem eis donavit gratiam divina sanctio: & quadam eos consecratiæ invocatione dignata est. Deinde formam illius consecratiæ invocationis, & monasticæ profes-

nis describens, ait: Stat quidem Sacerdos ante sacrum altare, monasticam imprecationem psallens. Ille autem post Sacerdotem astat, non utrumque ponens genu, non alterum, non habens imposita sacra eloquia capiti: verum Sacerdoti tantum astant, mysticam super illum invocationem persequenti. Qua finita, Sacerdos ad eum accedens, interrogat primum, an renuntiet divisibilibus omnibus, non solum conversatione, sed etiam phantasii eorumdem. Deinde perfectissimam ei vitam exponit. Illud aperte confessans, oportere illum medio longe antecedere. Ubi vero ille hæc omnia intente promiserit, consignans eum signo crucis Sacerdos tondet, trinas divinæ beatitudinis personas inclamans, exutumque veste omni, aliam induit. Et cum sanctis aliis qui ipsum astant viris, ipsum salutans, divinorum mysteriorum participem facit. Hactenus beatus ille Dionysius. In quibus verbis multa notare oportet. Primum est, Monachos tunc professionem per voti promissionem facere. Quod manifeste ostendit, cum dixit: Ubi vero ille hæc omnia intente promiserit. Non solum ergo tempore Hieronymi sed multo ante tempore, utputa in ipsis Ecclesiæ primordiis, Monachi se voto Domino obligabant, promittentes rerum divisibilibus, hoc est, rerum terrenarum quæ à nobis per mortem dividuntur & separantur, renuntiationem. Alterum quod ex Dionysio constat, est monasticam vitam in qua soli Deo vacatur, & curis sæcularibus renuntiat, esse omnibus aliis excellentiorem & sublimiorem.

Beatus Augustinus in epistola ad Armentarium, qui mundo contempto & relicto, votum simul cum uxore voverat, sic ait: „ Primumquæ essem voti reus, liberum fuit, „ quo essem inferior: quamvis non sit gratulanda libertas, „ qua sit ut non debeatur quod cum lucro redditur. „ Nunc vero quia tenetur apud Deum sponso tua, non „ te ad magnam justitiam invito, sed à magna iniquitate „ deterreo.

„ Non enim talis eris si non feceris quod vovisti, quæ „ lis manifestes si nihil tale vovisses. Minor enim tunc es „ ses, non peior. Modo autem tanto, quod abisti, misere „ rior, si fidem Deo freris, quanto beator, si perfol „ veris. Nec ideo te vovisse peniteat, immo gaude jam „ tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. „ Aggredere iraque intrepidus, & dicta imple factis: ip „ se te adjuvabit, qui vota tua expevit. Felix necessitas, „ quæ ad meliora compellit. „ Hæc Augustinus. In quibus verbis multa sunt, si bene lector advertat, quæ vota commendant. Beatus Gregorius homilia vicesima super Ezechielem, sic ait: Hoc inter sacrificium & holocaustum distat, quod omne holocaustum sacrificium est, sed non omne sacrificium holocaustum. In sacrificio enim pares pecudis, in holocausto vero totum pecus offerri consueverat. Unde & holocaustum Latina lingua totum incensum dicitur. Pensemus ergo quid est sacrificium, quid holocaustum. Cum enim quis suum aliquid Deo vovit, & aliquid non vovit, sacrificium est.

Cum vero omnè quod habet, omnè quod vivit, omnè quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est. Nam sunt quidam qui adhuc mente in mundo recitantur, sed tamen ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, oppressos defendere festinant, isti in bonis quæ faciunt, sacrificium offerunt, quia aliquid de actione sua Deo immolant, & aliquid sibi metipsis reservant. Et sunt quidam hic qui nihil sibi metipsis reservant, sed sensum, linguam, vitam atque substantiam quam acciperunt, omnipotenti Deo immolant. Quid isti nisi holocaustum.

caustum Domino offerunt? immo magis holocaustum sunt. Israeliticus etenim populus primum sacrificium in Ægypto obtulit, (Exod. 12.) secundum vero in eremo. (Exod. 15.) Qui ita adhuc mentem habet in sæculo, sed boni jam aliquid operatur, Deo sacrificium obtulit in Ægypto. Qui vero præfens sæculum deserit, & agit bona quæ valent, quasi jam Ægypto derelicta sacrificium præbet in eremo: quia repulso strepitu desideriorum carnalium in mentis suæ quiete, atque solitudine Deo immolat quicquid operatur. Quamvis ergo, sicut dictum est, sacrificium sit etiam holocaustum: majus tamen est holocaustum sacrificio: quia mente quæ hujus mundi delectatione non premitur, totum in omnipotentis Dei sacrificio incenditur quod habetur. Hucusque Gregorius. In quibus verbis illud est advertendum quod ait, majus esse holocaustum sacrificio: majusque fuisse sacrificium eremi, quam sacrificium Ægypti. Ex quibus verbis constat, Monachos qui ex toto negaverunt voluntatem suam, se totos in professione Deo per votum obedientiæ immolantes, fecisse holocaustum. Et ita convincitur eadem lege eorum votum esse sacrificium eremi, & per consequens melius quam opus à secularibus libere factum, quoniam illud est sacrificium Ægypti. Beatus Chrysostomus pro voto perpetuæ paupertatis testimonium reddit, qui homilia undecima super epistolam ad Hæbraeos, ita inquit: „Sunt alia sacrificia quæ vere sunt holocaustum, ut Sanctorum Martyrum corpora, ubi „& anima & corpus sunt. Illa enim olfactum magnum „bonæ orationis habent. Potes & tu si volueris tale sacrificium offerre, non utique comburendo corpus, sed „alio igne potes, igne scilicet inopiæ voluntariæ, qui est „ignis magnæ tribulationis. Cum enim liceret in deliciis „& multis impensis esse, eligis laboriosam & duram vitam: nonne tunc holocaustum fis? id est, holocaustum „mortificativum corporis, corpus crucifigens, & accipiens martyrii hujus coronam? Quod enim illic gladius „operatur, hic desiderium facit, ne te comburat, neque „detineat pecuniarum amor, sed comburatur & extinguatur desiderium hoc incompetens igne spiritus, & incindatur cultro gratiæ. Hæc Chrysostomus, qui satis aperte ait in professore voluntariæ paupertatis hoc agere ejusdem paupertatis electionem, hoc est votum, quod gladius materialis operatur in carne: hic enim facit martyrem Christi corporaliter in publico, illic autem fit martyr in occulto. Et sicut sine gladio, vel aliqua alia re æquivalente non potest esse martyr Christi publicus, ita secluso voto & desiderio paupertatis, quamvis ab inopia sua premat, non erit tamen martyr privatus. Accedit ad hæc, quod omittens id quod se facturum Deo voverat, gravius peccat, quam si non vovisset. Sapiens namque ait: (Ecclesiastes, cap. 5.) *Multo melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Hoc loco certe dicitur melius id quod est minus malum, sicut alibi dicitur: (Matth. 26.) *Melius erat ei si natus non fuisset.* Non quod alterum illorum esset bonum, sed quia minus malum esset non nasci, quam Christum vendidisse. Ita etiam hoc loco intelligendum est, quod minus malum est (prout malum est omnis bonitatis defectus) non vovere, quam post votum promissa non reddere. Sic enim Urbanus primus hujus nominis Pontifex, in epistola De communi vita & oblatione fidelium, ait: Et quicumque vestrum communem vitam susceptam habet, & vovit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat, sed hoc quod Domino est pollicitus, fideliter

custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat: quoniam factus est non vovere, quam votum, prout melius potest, non perficere. Gravius enim vniuntur qui votum fecerunt, & votum non perforerunt: aut fidem perceperunt, & in malis vitam finierunt, quam illi qui vitam sine voto finierunt, aut sine fide moriuntur, & tamen bona egerunt opera. Hæc Urbanus Papa & Martyr. Ex cuius verbis constat tunc temporis fuisse jam homines qui paupertatem voventes in communitate viverent, prout nunc Monachi faciunt. Constat etiam gravius fore puniendos qui votum fecerunt, & votum non perforerunt: quam illos qui vitam sine voto male finierunt. Si gravius puniuntur qui vota non reddunt, oportet, ut etiam largius præmientur cum reddunt. Alioqui enim non esset Deus prior ad misericordiam, quam ad punitionem. Demum ne amplius de hæc contentandam, audiamus Ecclesiæ definitionem: Concilium Tolætanum quartum, cap. 49. suorum Decretorum sic ait: Clerici qui Monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in Monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdicti propositum eorum qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. Hæc Concilium Tolætanum quartum. Ex cuius sententia hoc constat, quod Monachorum vita est perfectior quam aliorum secularium: quod non aliunde provenit, nisi ex voto quod emiserunt, quod majorem perfectionem, majusque meritum illorum operibus tribuit. Superest autem ut hæreticorum objectionibus, quibus nos oppugnant, respondeamus, & ostendamus illas omnes esse proflatas inanes. Primo nobis objiciunt illud Pauli ex prior ad Corinthios epistola, cap. 7. *Si nupsit virgo, non peccavit.* Ex quibus verbis colligere nituntur hæretici sanctimonialia, quæ castitatem Deo voverunt, non peccare, quam viris nubunt, & illis copulantur. Sed aliter se res habet: quoniam Paulus in prædictis verbis loquitur de virginibus quæ sunt sui juris, quibus nubere, aut non nubere licet, & non de illis quæ per votum castitatis quod voverunt, nubendi potestatem à se proflatas rejecerunt. Et juxta hanc sensum interpretatur illa verba Hieronymus, libro primo adversus Jovinianum, prout facile est videre in verbis illius, quæ supra in alium finem citavimus. Eadem interpretationi favet beatus Chrysostomus, qui homilia 19. super priorem ad Corinthios epistolam, interpretans prædicta Pauli verba, ait: Neque de ea quæ sibi elegerit virginitatem, loquitur, quippe quæ jam peccavit. Nam si viduæ, quæ secundis se nuptiis alligantur, judicium subeunt, si semel viduitatem elegerint: multo magis virgines. Hæc Chrysostomus, qui obiter etiam docet illa verba Pauli ex prior ad Timotheum epistola, de quibus supra disputavimus, esse intelligenda de voto continentiæ, & non de voto in baptismo emisso. Eandem interpretationem prædictis Pauli verbis reddit Theophylactus perpetuus Chrysostomi imitator, sic inquit: Virginem hic dicit, non eam quæ Deo consecrata sit: ea enim si nupsit, peccavit omnino, eam quæ mæstum superinduxerit sponse suo Christo: sed in nuptiam dum puellam. Ea enim si nupsit, non peccavit: nec enim res impura est matrimonium. Hæc Theophylactus. Eodem modo interpretatur Isidorus, qui libro 2. de Officiis Ecclesiasticis, cap. 17. hæc ait: Qui tentationem carnis non tolerant, necesse est, ut portum conjugii petant. Unde & idem Apostolus, qui se, inquit 1. Cor. 7. *non continet, nubat: melius est enim nubere quam uri.* Et iterum: *Si acceperis, inquit, uxorem, non peccasti. Si nupsit virgo non*

non peccavit: & si non vis major esse, esto vel minor: quia libera voluntatis es. Nuptiæ enim peccatum non sunt, sed per sollicitudinem mundi, qui nubunt, legem Dei vix servant. Sed illos dicit peccare si nubant, qui nondum voverunt Deo castitatem: ceterum vel qui in corde suo promittit, si aliud fecerit, habet damnationem. Quod enim erat per naturam licitum, per votum sibi fecit illicitum. Hæc Isidorus. His omnibus in hac parte consentit Photius, qui ab Oecumeno citatus, hæc ait: Virginem hic Paulus intelligit, non Deo consecratam, sed innuptam puellam. Illa enim, quæ jam Deo consecrata est, si nupsit, adulterium inducit Christo, cui nupta est. Hæc Photius. Ex verbis istorum omnium sacrorum Doctorum aperitissime constat, illa Pauli verba non contra nos, sed potius pro nobis pugnare.

Secundo objicit Lutherus in illo suo libro de Votis Monasticis, sic inquit: Vota Monastica rectæ rationi contrariantur: & in primis votum castitatis, quandoquidem recta ratio decernit, si quicumque impossibile nobis factum fuerit, nos amplius ad illud non astringi. Quare quodvis votum, quantumcumque rectum & pium fuerit, si non possit à nobis impleri, definit esse votum. Sed in Religioso, qui voto castitatis se astrinxit infirmitas carnis potest esse tanta, ut nec jejunis, nec orationibus, nec exercitiis domari possit. Is igitur impune votum castitatis, quod implere non valet, solvere poterit, & ad conjugalem statum se conferre. Quinimo quum tale coram Deo votum addidit, id sub conditione debuit interpretari, se scilicet servaturum celibatum, si modo senserit illum sibi possibilem, & quandiu poterit, integre illum conservare. Hæc Lutherus. Ex quibus verbis facile quisque, si diligenter advertat, agnoscat ingenium Lutheri, & intelligat quam parum sibi constet, & qualiter in omnem figuram, velut alter Prothelus se vertat. Nunc ut vota oppugnet, dicit, hominem non obligari ad impossibile, qui cum alias contenderet de intelligentia duorum præceptorum, videlicet de dilectione Dei, & de concupiscentiæ vitanda, dixit hominem à Deo obligatum esse ad impossibile. Nos vero objectioni illius respondentes, fatemur neminem ad impossibile posse obligari: ac proinde si quis aliquid voverit, quod tunc, aut postea est illi impossibile, non obligatur ad illius voti impletionem. An autem illud sit sibi impossibile, an non, non debet ille solus judicare, quia nullus in causa propria potest esse bonus iudex, præsertim ubi res ipsa habet aliquam dubitandi rationem: sed oportet consulere superiorem, qui re bene undique circumspicte judicabit de possibilitate & impossibilitate illius, & si ille censuerit esse impossibilem, eo ipso erit liber ab illius voti obligatione. Negamus tamen tantam posse esse infirmitatem carnis, ut illi necessario cedere homo aliquando cogatur, quia numquam potest esse tam vehemens carnis tentatio, ut divino adjutorio fultus, quod Deus omni recte petenti semper paratus esse dare, non possimus resistere. De qua re satis me dixisse memini supra in titulo de Virginitate, & in titulo de Sacerdotio, hæresi quarta. Ceterum quod ait, votum castitatis vovendum esse sub conditione, ridicula res est, quoniam ea condicio sepe anam violationis voti præberet. Nam quoties carnis delicta experiri vellet, diceret se continentiam servare non posse, propterea quod tanta sit carnis tentatione vexatus, ut jam illi resistere non valeat.

Tertia Lutheri objectio est, quæ hæc ait. Prorsus rectæ rationi adversum est, pariter & absurdum, id aliquem

vovere Deo, quod nullo modo in sua est collocatum, potest esse, sed omnino in alterius arbitrio constitutum. Ut ineptus is haberetur, qui voveret Deo se fore Episcopum, aut Apostolum, Principem, aut Regem, cum sciat nihil horum esse in potestate auctoris; sed in alterius, ut vocantis auctoritate. At qui castitatem Deo voverit, rem voverit quæ prorsus non est, nec potest esse in manibus suis, cum sit solius Dei donum, quod accipere, non offerre potest homo. Hæc Lutherus. Si hæc argumentatio aliqua haberet vires, etiam probaret nos nihil posse Deo vovere, immo ipsam Christianam promissionem, quam in baptismo facimus, nullius prorsus esse valoris: quia nihil eorum quæ in baptismo promittimus, in sola nostra situm est potestare. Nam fidei firmitatem, mandatorum Dei integram obedientiam, Sathane abrenuntiationem sine speciali Dei adjutorio præstare non possumus. Sine me, inquit Salvator, Joann. 15. nihil potestatis facere. Et Paulus Apostolus (2. Cor. 3.) ait: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed sufficienter nostræ ex Deo est.* Fatemur ergo neminem vovere posse id, quod in sua non est situm potestare: negamus tamen castitatis observationem non esse in nostra potestate collocatam: quia & si homo suis solis viribus innotens illam tenere non valeat, valet tamen cum Dei adjutorio, quod ille paratus est dare omnibus in veritate invocantibus illum. Omnia possum, inquit Paulus Philip. 4. in eo qui me confortat. Si omnia potest: ergo & castitatem integram servare. At quod Deus ipse petentibus auxilium suum, nonquam illud denegat, ipsemet testatur, qui apud Marcum, cap. 11. ait: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et venient vobis.* Si omnia: ergo carnis continentiam. Numquam autem dicimus aliquid in nostra esse potestare, propterea quod illud sine Dei auxilio efficere possumus: sed quia illud possumus cum Dei adjutorio pervenire, quod ille semper paratus est dare. Et ob hanc causam dicimus non esse in nostra potestate situm esse Episcopatum, aut Apostolum, Regem, aut Principem: quia etiam ad quodvis munus istorum possumus cum Dei adjutorio pervenire. Deus tamen non semper est paratus ad conferendum omni homini tale adjutorium. Insuper igitur & ridicula est similitudo quam proposuit Lutherus: quia longe alia est potestas in nobis ad Episcopatum consequendum, & ad castitatem servandam. Nam ad hæc semper Deus est paratus nos adjuvare, ad illud autem non.

Quarta Lutheri objectio sequentibus illius verbis continetur: Nonnulli leguntur etiam viri sancti ex Monasteriis assumpti in Episcopatum, in Cardinalatum, & Summum Pontificatum, ubi certe in res proprias è voto paupertatis sunt translati. Neque enim hic quis dicere potest, Papam, Episcopos, & Cardinales, atque similes Ecclesiasticos Rectores, non possidere res proprias, cum eis pro arbitrio utantur. Esto siquidem quod Monachorum præpositi curent res non proprias: at illi certe Præfules Ecclesiastici proprias curant res, quamquam de Ecclesia acceptas, ut nihil sit quod dicere quis possit, non suas, sed Ecclesiæ esse res eas, quas administrant. Quod si in Præfibus propter obedientiam & statum perfectionis quem assumunt, solvitur votum paupertatis, nam tunc sunt divites propriarumque rerum possessores: cur propter eandem causam non solvitur in eis votum castitatis? Hæc Lutherus. Ex quibus verbis constat aperte quam irreconciliabili odio prosequatur Lutherus votum castitatis quod in Monachatus professione voverat. Nam ut hoc à se excutere possit nullum non movet lapidem, &

id eo contra hoc multo vehementius & frequentius, quam contra alia vota pugnat. Sed in hoc argumento nihil prorsus agit: quoniam ut falsum probet, aliud perinde falsum assumit. Falsum enim est, eos qui ex Monachatu ad Episcopatum assumpti sunt, liberos esse à voto paupertatis: copatum assumpti sunt, liberos esse à voto paupertatis: quia etsi ad Episcopatum assumantur, manent tamen ad paupertatem obligati, prout antea obligabantur. Et hoc aperte declaravit Innocentius Papa in capit. de Monachis 16. quæst. 1. cujus hæc sunt verba: De Monachis, qui diu morantes in Monasteriis, si postea ad Clericatus Ordinem pervenerint, statuimus non debere eos à priori proposito discedere. Hæc ille. Verum hæc sententia de illis solis rebus intelligenda est, & quæ simul cum dignitate Episcopali servari possunt, qualia sunt castitas & paupertas: nam ab aliis quæ cum ipso munere Episcopali pugnant, prout est obedientia, jejunium, silentium, fatemur eos esse liberos: quia illa non possunt simul coherere cum functione muneris Episcopalis. Quod autem objicit Lutherus illos esse dominos illarum rerum, quæ ratione muneris Episcopalis illis obveniunt, falsum est: quia illarum non domini, sed tantum dispensatores & administratores sunt. De qua re videat qui voluit Sanctum Thomam Aquinatem in sua Secunda Secundæ, quæstione 185. articulo octavo, ubi optime de hac re disserit.

Quinto Lutherus objicit contra votum obedientiæ, hæc dicens: Circa obedientiæ votum bifariam peccant Religiosi, tum quod illam reponunt sub consilio, cum sit de præcepto, scilicet, quod inferior obediat superiori, ut filius patri, uxor viro, & servus Domino: tum quia per eam uni scilicet suo Præsidenti se obligant, & ab omnibus aliis superioribus & æqualibus se subtrahunt, dicentes se soli suo superiori eam debere. Est igitur illud obedientiæ votum irrationabile & damnandum. Hæc Lutherus. In quibus verbis bis ille mentitur est. Primo quidem quia dicit, illam obedientiam quam Monachi volunt esse sub præcepto. Est enim illa sub præcepto post votum obedientiæ emissum: tamen non est sub præcepto ante votum illud, sed tantum sub consilio. Nam etsi lege divina omnis inferior teneatur præstare obedientiam suo superiori; non tamen lege divina sancitum est, ut prælati alicujus Monasterii sit superior illo, qui Monachatum non est professus, & ideo hic non tenetur ex lege divina illi obedire, quandiu non fuerit illi subditus. Est ergo sub consilio, ut homo, qui alias liber est, sponte sua se velit alteri propter amorem Dei subdere, ut ab illo regatur & gubernetur: est autem sub præcepto, ut illi obediat, postquam obedientiam illi præstare, Deo promissit. Secundo mentitur est Lutherus, quum dixit, Monachos per votum obedientiæ uni soli Præsidenti se obligare, & ab omnibus aliis superioribus se subtrahere. Nam ea ratione qua Monachus subditur proximo Præsidenti suo, eadem ratione subditur etiam omnibus aliis, quibus præfatus ille subditus est, & omnibus illis non minorem, immo multo majorem obedientiam exhibere tenetur. Et hoc semper à Monachis fuit observatum, neque contrarium lex aliqua unquam apud eos statuit, nec usus servavit. Ex quibus omnibus apertissime convincitur, hanc quintam Lutheri objectionem magis esse falsam calumniam, quam vel apparens argumentum.

Sexta Lutheri objectio non aliquid particulare votum, sed omnia simul vota in universum oppugnat, sic dicens: Monastici professionis vota repugnant libertati Evangelicæ, seu Christianæ, quæ non solum est ea liber-

tas in spiritu regnans, ait Lutherus, qua solvitur conscientia ab operibus; sed etiam qua sublata sunt universa hominum mandata, & quicquid in externis caeremoniis servari potest, ut sunt omnes cibi, omnes vestes, omnes personæ, omnes gestus, omnia loca, omnia vasa, omnes dies: ut ea liceat observare & non observare: quandiu, ubi, & quomodo, quando & quoties placuerit, aut res ipsa obtulerit. Et omnino quicquid non est mandati divini abrogatum, & libertate donatum est. At vos eisdem institutum, nonne merissime humanum est? nonne situm est in rasura, veste, cibo, potu, diebus, locis, gestibus, & aliis caeremoniis? Et paucis interpositis, tandem colligit, sic dicens: Sunt itaque vota Monastica contra libertatem Evangelicam, & divinis mandatis omnino prohibita: estque votorum institutum servilis nomen doctrina nequaquam toleranda. Hæc Lutherus. In quibus verbis Lutherus apernit totius suæ doctrinæ basim & fundamentum, per quod tantam hominum multitudinem ad se traxit. Nam sub furo & nomine Christianæ libertatis effranatam omnium vitiorum licentiam, hominibus prædicavit, indulgens illis quicquid facere liberet, dummodo crederent se per misericordiam Dei fore salvos. Hæc vitiorum licentia, quam Lutherus libertatem Christianam vocat, pessima servitus est: quoniam ut Salvator noster ait: (Joann. 8.) Qui facit peccatum, servus est peccati. Cæterum, falsum est quod ait, libertatem Christianam in hoc fatum esse, ut nullis hominum mandatis obedire teneatur. Nam hæc ratio ne oporteret fateri nullum esse in Christiana Religione magistratum, nullum Regem, nullum Principem, nullum Ducem: periretque hæc ratione omne Regnum, omnisque Respublica, si nullis hominum mandatis homines obedire tenerentur. Sed de hac re memini jam satis me dixisse supra, in titulo de Ecclesiâ, hæresi tertia: illo enim loco ostendimus ex sacris litteris, esse in Ecclesiâ potestatem condendi leges, cui omnes Christiani obedire teneantur. Deinde, falsum est etiam quod Lutherus ait: Votorum obligationem esse ex instituto humano. Fateor quidem, votum ipsum ex humana voluntate pendere, & non ex præcepto divino: quia Deus non præcipit, sed tantum consulit nobis, ut aliquid illi voleamus. At postquam quis aliquid sponte sua vovit Deo, tunc jam ex præcepto divino obligatur ad reddendum Deo id quod vovit. Pro qua sententia tot, actam aperta protulimus supra in hoc capite, sacre scripturæ testimonia, ut non nisi cum summa impudencia, possit illis contradici. Non est ergo votorum institutum, ut Lutherus impudentissime ait, servilis nomen doctrina: sed doctrina Dei dicens: (Psal. 75.) Vovete, & reddite Domino Deo vestro. Falsum est etiam quod Lutherus ait: Vota Monastica esse divinis mandatis prohibita, quia omnia illa, ut jam probavimus, sunt quædam Christi consilia, quæ Monachi non solum facere, sed ad illa per voti emissionem se obligare voluerunt. Omnia itaque quæ Lutherus in hac objectione conjunxit, falsa sunt, & plena mendaciis, & à patre mendacii procedentia.

Septimo contra votum castitatis pugnat Calvinus in illo suo opere de Institutione Christiana, capite 4. §. 18. quo loco nobis objicit quædam verba Cypriani, & tacet locum unde illa sumpsit: quod ideo illum subticuisse suspicor, ne lector ad ipsum Cyprianum recurrens, posset facile deprehendere mendacem calumniam. Ego vero, ut Calvinus astutus revelem, & verba Cypriani copiosius, quam Calvinus citabo, & locum indicabo lectori, ut ipse possit ad illum accedere, & in illo verum sensum agnos-

cere. Cyprianus, libro primo, epistola undecima, quæ est ad Pomponium, hæc ait: Virgines quæ semel statum suum continent, æque firmiter tenere decreverunt, secundum traditiones Evangelicæ & Apostolicæ, non pari debemus cum masculis cohabitare, non dico simul dormire, sed nec simul vivere: cum & sexus infirmus, & ætas adhuc lubrica per omnia frænari & regi debeat, ne diabolo insidiant & fervire cupientes, ad nocendum detur occasio, cum & Apostolus dicat: (Ephes. 4.) Nolite locum dare diabolo. Liberanda est vigilantia de periculo suis ideis navis, ne inter scopulos & laxa frangat. Exeunda est velociter de incendio sarcina, proutquam flammis supervenientibus concremetur. Nemo diu tutus est periculo proximo. Nec evadere Dei servus poterit, qui se diaboli laqueis implicaverit. Quod si ex se fide Christo dicaverunt, pudicæ & castæ sine ulla fabula perseverent, ita fortes & stabiles premium virginitatis expectent. Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est ut nubant, quam in ignem delictis suis cadant. Hæc Cyprianus. Post hæc Cypriani verba, Calvinus hæc ait: Quibus probris non laceraret nunc eum, qui continentiam votum tali aequitate temperare vellet? Longe ergo ab illo vetusto more discesserunt, qui non modo nullum admittunt moderationem, aut veniam, si quis præstando voto impar deprehendatur: sed gravius peccare nullo pudore pronuntiant, si accepta uxore, carnis intemperantiam medetur, quam si scortando corpus & animam contaminet. Hæc Calvinus. Esto illa Cypriani verba ita, ut Calvinus putat, intelligenda essent, non tamen illi soli soli credere oporteret, quam reliquis omnibus tam multis, quorum testimonia contra Lutherum & Calvinum supra citavimus. Sed bene res habet quod Cyprianus in illa eadem epistola nobis aperitissimè faver, tantum abest, ut pro Lutheranis sententiam dicat. Nam in illis verbis Cyprianus non loquitur de virginibus, quæ virginatatem Deo voverunt; sed de iis quibus liberum est nubere, vel non nubere, prout sunt illa quas moniales appellare solent Novitias, propriæ quod sunt in eo anno, qui datus est illis ad probationem, ut in illo experiri vires suas possint, & videre an sentiant se idoneas ad votum castitatis servandum. Hæc siquidem virginis, etsi firmiter virginatatis propositum habuerunt, & per tale propositum se Deo dicaverunt: quia tamen non voverunt adhuc virginatatem, si perseverare nolunt, vel non possunt, melius est ut nubant, quam in ignem, ut ait Cyprianus, delictis suis cadant. Istæ enim sunt illæ virginis, de quibus ait Paulus: (1. Cor. 7.) Et si nupsit virgo, non peccavit. Quod autem hic sit verus, & germanus verborum Cypriani sensus, apertissime colligitur ex aliis quæ circa ealeem ejusdem epistolæ, de virginibus quæ virginatatem voverunt, loquitur, sic inquires: Si superveniens maritus sponsam suam jacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit, & per zeli dolorem forasiss & gladium in manum sumit? Quia Christus Dominus & iudex noster, quam virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam jacere cum altero cernat, quam indignatur & irascitur? Et quas penas incestus hujusmodi conjunctionibus comminatur? Et post pauca, de eisdem virginibus Deo dicatis, subdit. Si autem ex eis aliquæ corruptæ fuerint deprehensæ, agant poenitentiam plenam: quia quæ hoc crimen admittit, non mariti, sed Christi adultera est. Hæc Cyprianus. Ex quibus verbis apertissime convincitur, Cyprianum in aliis verbis prius citatis, non fuisse locutum de virginibus quæ jam virginatatem suam Deo voverant, sed de aliis. Nam si de illis tunc loquebatur,

quomodo potest esse verum quod dixit, melius esse ut nubant, quam in ignem delictis suis cadant, si illa quæ cuivis homini copulatur, ut in verbis ultimo citatis dicit, adulterium committit & incestum? Nam de illa quæ cum altero viro, quicumque ille sit, jacet, dicit illam incesta conjunctione pollutam. Si illius conjunctio cum quovis altero viro est incestus & adulterium, consequens est, ut illa etiam in ignem delictis suis cadat: & ideo non est possibile, ut melius sit illi nubere: quia sive nubat, sive absque nuptiis fornicetur, semper adulterium adversus Christum, cui desponsata fuerat, committit. Ne ergo Cyprianum secum pugnare dicamus, necessario fateri oportet priora illius verba de virginibus quæ virginatatem nondum voverunt, esse intelligenda: posteriora vero de aliis quæ se per votum Deo abstinent. Hinc facile intelligi potest hæreticorum verba, qui Sanctorum testimonia, quæ aliquoties in favorem suæ sententiæ proferrunt, fere semper manca & truncata citant, ut ipsorum fallacia non detegatur. Contra hanc hæresim scripsit Jodocus Clichthoveus in suo Antiluthero, libro tertio. Scripsit etiam Richardus Smithæus Anglus libellum parvum, pro defensione cœlibatus, & votorum Monasticorum.

Secunda hæresis est, quæ etsi fatetur vota esse bona & sancta, negat tamen aliquid posse Deo voveri quod non sit ab illo præceptum. Et ob hanc causam damnat omnia vota Monastica, quamvis multa alia vota probat: quia vota Monastica sunt de illis rebus, quas Deus non præcepit, videlicet de castitate, & paupertate, & obedientia. Hujus hæresis auctores sunt posteriores Lutherani, qui aperte cognoscentes esse contra sacram scripturam damnare omnia vota, & obstinate volentes vota Monastica persequi, hoc commentum finxerunt, ut dicerent, illa sola vota Deo placere quæ sunt de iis quæ ille præcepit, reliqua vero omnia nimium Deo displicere, & esse prorsus damnata. Hanc hæresim docent Vvitembergenfes in sua confessione fidei, ubi in titulo de Votis, hæc dicunt: Non est dubium, quin vota pia, iusta & legitima servanda, ac solvenda, & vota impia sint rescindenda. Sed haud immerito disputatur, in quo votorum genere collocanda vota sint Monachorum, de virginatate, seu cœlibatu, paupertate, & obedientia. Nam manifestum est, quod cœlibatus non sit verbo Dei præceptus. Et aliquibus interpositis, hæc addunt: Quare qui vovet virginatatem, vel cœlibatum, aut vovet eum ut singularem Dei cultum, quæ status cœlibatus non est verbo Dei mandatus, pertinet hoc votum ad mandata hominum, de quibus Christus dicit: Frustra colunt me dicentes doctrinas & præcepta hominum. Aut voverunt eum, ut meritum remissionis peccatorum, & vitæ æternæ, tunc est manifeste impium votum, cui nullus est obnoxius. Hæc illi Vvitembergenfes, qui idem postea dicunt de paupertate & obedientia. Calvinus, in suo illo opere de Institutione Christiana, capite quarto, in quo de Monachatu & votis disserit, §. secundum, hæc ait: Porro si nolumus errare judicando quæ vota sint legitima, quæ præposita, tria expendere convenit: nempe quis sit is cui votum nuncupatur, qui sumus nos qui voverimus, quo animo denique voverimus. Primum eo spectat, ut cogitemus nobis cum Deo esse negotium, quem adeo delectat nostra obedientia, ut ethelothricas, omnes, quamlibet in oculis hominum speciosæ sint, ac splendide, maledictas esse pronuntiet. Si voluntarii omnes cultus, quos sine mandato excogitamus, Deo sunt abominabiles, sequitur nullum ei acceptum esse posse, nisi qui ejus verbo approbetur. Ergo ne tantum licentiæ

nobis fumamus, aut audeamus Deo vovere, quod nullum testimonium habeat, qualiter ab ipso æstimetur. Hæc Calvinus. Ex quibus verbis constat illum sentire, nihil posse Deo voveri, nisi quod ab illo præceptum est: quia hoc solum, ut ille docet, habet apertum testimonium, quod Deo placeat. Nam isti heretici nullam, prout in titulo de Præcepto, hæresi secunda, retulimus, inter præceptum & consilium ponunt differentiam, & ideo dicunt nihil Deo placere, nisi quod ab illo præceptum est. Ex hac itaque falsissima sententia deducunt, nihil posse Deo voveri, nisi quod ab illo præceptum est: quia nihil aliud dicunt, constat nobis placere Deo. Ad hanc hæresim revincendam satis esse possunt ea, quæ in titulo de Præcepto, hæresi secunda & tertia, diximus. Nam in illis locis probavimus latum esse discrimen inter præceptum & consilium, & ali- quid Deo placere, quod non sit ab illo præceptum. Ex quibus omnibus facile colligitur homines posse aliquid Deo vovere, quod ille non præcepit, sed præter illa omnia volo aliqua in speciali contra hanc hæresim proferre argumenta, ut multo apertius illius falsitas omnibus in- norescat.

Primum quidem offero testimonium ex libro Numero- rum, cap. 30. ubi Dominus per Moysen ait: *Si uxor voverit, & juramento se constrinxerit, ut per jejunium & caterarum rarum abstinentiam affligat animam suam, in ar- bitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat. Quod si audiens vir tacuerit, & in alteram diem transfulerit sententiam, quic- quid voverat, atque promiserat, reddet, quia statim ut au- dit, tacuit.* Ex hac Dei lege apertissime constat, ali- quid posse Deo voveri, quod non sit ab eo præceptum. Nam jejunium poterat uxor vovere, & tale non erat à Deo præceptum, quia si fuisset à Deo præceptum, non posset maritus illius contradicere tali voto, & irritum fa- cere illud. Poterat autem maritus, ut ex ipsa lege constat, statim ut audisset, irritare votum: ergo jejunium illud quod uxor voverat, non erat à Deo præceptum. Rursum, illud est manifestum quod sacra historia refert de Anna, uxore Elcanæ, quæ cum filium non haberet, & illum anxie desideraret, surrexit postquam comederat, & bibe- rat in Silo. Et Heli Sacerdote sedente super sellam ante postem domus Domini, cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter, & votum vovit, dicens: *Domine exercituum si respiciens videris afflictionem famula tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancilla tuæ, de- derisque servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omni- bus diebus vita ejus, & novacula non ascendet super caput ejus.* Hoc votum quod emisit Anna, ut manifeste constat, non fuit de re quam Deus umquam illi præceperat, & tamen votum illud sic placuit Deo, ut propter illius me- ritum Deus dederit Annæ petitionem suam. Nam post circulum dierum concepit Anna, & peperit filium, vo- cavique nomen ejus Samuel, eo quod à Domino postu- lasset eum. Placet igitur Deo votum de re bona, quamvis non sit ab illo præcepta. Præterea, virginitatem Deus non præcepit, Paulo testante, (1. Cor. 7.) qui ait: *De virginibus præceptum Domini non habeo.* At de ipsa virgi- nitate perpetuo servanda votum Deo vovit gloriosa Dei Genitrix semper Virgo Maria, quæ Deo usque adeo pla- cuit, ut illam in Matrem suam elegerit. Non igitur dis- placet Deo votum omne, quod est de re ab illo non præ- cepta. Deinde Apostoli votum paupertatis emiserunt, prout constat ex testimonio Augustini, quod in proxime præcedente hæresi citavimus. Nullum est autem datum à Deo præceptum, sed solum consilium de paupertate ser-

vanda, per quam omnia bona temporalia actu deseruntur.

Quantum autem hoc paupertatis votum Deo placeat, aperte ostendit illa magnificentissima Dei promissio, qua largissimam propter illud votum promisit illis mercedem. Quæsi verat enim Petrus à Christo Redemptore nostro, quid daturus esset illi & suis Condiscipulis, posterea quod omnia reliquissent, ut illum sequerentur. Cui inter- rogationi Salvator noster respondit, (Mat. 19.) sic di- cens: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in re- generatione quum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duode- cim tribus Israel.* Quis ergo tam demens, ut dicat, dis- placuisse Deo, id propter quod tantum premium reddere dignatus est? Juste igitur & sancte potest homo vovere

Deo, quod ille non præcepit. Accedit ad hæc omnia con- cors Sanctorum virorum sententia, qui omnes docent, posse hominem sancte Deo vovere, quod minime ab illo præceptum est. Augustinus, libro primo de Adulterinis conjugijs, capite vigesimo quarto, hæc ait: Quod enim cuiquam antequam vovisset, licebat, quum se numquam facturum voverit, non licebit: si tamen id voverit quod vovendum fuit: sicut est perpetua virginitas, vel conti- nentia post experta connubia solutis à vinculo conjugali: vel ex consensu viventibus, & carnalia debita sibi invi- cem relaxantibus fidelibus, castique conjugibus: quod alterum sine altera, vel alteram sine altero vovere fas non est. Hæc ergo, & si quæ alia sunt, quæ rectissime vo-

ventur, quum homines voverint nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine ulla conditione voverunt. Quia in hoc Dominum præcepisse intelligendum est, ubi legitur: (Psal. 75.) *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* Unde Apostolus de quibusdam, quæ continentiam vovent, & postea nubere volunt, quod eis antequam vovissent, utique licebat: *Habentes, inquit 2. Tim. 5. damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt.* Hæc Augustinus. In quibus verbis multa contra istos hereticos annotare possumus: sed illud est præcipuum, quod inter vota justa & minime rumpenda numerat votum virginitatis, quum constat non esse à Deo præceptam. Neque votum tempo- rariæ sed perpetuæ virginitatis dixit esse justum, & per omnia servandum. Ex quibus verbis etiam convincitur Calvinus, qui etsi aliqua vota admittat & probet, omnia tamen vota perpetua damnat. Et in Commentariis super Psalmos, declarans verum illum ex Psalmo 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*, iterum ait Augustinus: Alius vovet Deo castitatem conjugalem, ut præter uxorem suam non noverit aliam: sic & femina, ut præter virum suum non noverit alium. Alii etiam vovent, & si experti tale conjugium, ultra nihil tale pati, nihil tale concupiscere, aut sustinere: & ipsi voverunt aliquid ma- jus quam illi. Alii virginitatem ipsam ab ineunte ætate vovent, ut nihil tale vel experiantur, quale illi experti reliquerunt: & isti voverunt plurimum. Alii vovent do-

minum suam esse hospitalem omnibus sanctis advenientibus, magnum votum vovent. Alius vovet relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, & societatem sanctorum: magnum votum vovit. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* Quisque quod voluerit, voveat: illud attendat, ut quod voverit, red- dat. Hæc tamen Augustinus. In quibus verbis vota illarum rerum quas Deus non præcepit, non solum laudat, sed dicit esse multo meliora, quam vota illarum rerum, quas Deus jusit. Huic sententiæ favent Hieronymus, Chry- sostomus, Photinus ab Oecumeno citatus, Theophylac-

rus Isidorus. Nam hi omnes interpretantes illa verba Pauli: *Si nupserit virgo, non peccat*, dicunt servandum esse votum virginitatis, quam constat non esse à Deo præ- ceptam. Horum verba non est opus nunc impresentiarum citare, quia in proxime præcedente hæresi fuerunt per me citata.

U S U R A.

Guido Carmelita in sua summa de hæresibus, dicit Græcos sentire, non esse peccatum, dare aliquid ad uturam. Et certe miror quod homines in sacris litteris versati, & qui illis aliquam fidem præbent, in tam aper- tam hæresim lapsi sint, contra quam tot tamque manifesta sint sacre scripturæ testimonia. In Exodo enim cap. 25. lex Domini ait: *Si pecuniam mutuo dederis pupillo meo pau- peri qui habitat tecum, non urgas eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Et in Levitico cap. 25. *Si attenuatus fue- rit frater tuus, non accipies ab eo usuras.* Et in Deutero- nomio cap. 2. *Non seneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno.* Quod au- tem dixit, sed alieno, permissio est Judæis concessa ob eorum omnium avaritiam: sicut & alias permissus est illis libellus repudiij ad duriciam cordis eorum. Non autem permittuntur nisi ea quæ mala sunt. Malum est ergo ad usuras dare etiam alieno. Divinus Psaltes cum prius in- terrogasset Deum quisnam esset in tabernaculo illius habi- taturus, postea eidem quæstioni ipsemet respondens, ait: (Psal. 14.) *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, &*

Hæ sunt, Serenissime REX, hæreses quæ ab Apostolicis temporibus ad hunc usque diem Ecclesiam vexave- runt. An autem omnes collegerim, me latet, quoniam multæ fuerunt hæreses adeo occultæ, ut in paucorum & forte nullius noticiam venerint. Aliæ rursum quæ & si multis fuerunt notæ, non tamen fuerunt quæ de illis ullam in suis libris facerent memoriam: quapropter necessum est ut sint longo temporis decursu traditæ oblivioni. Hoc ta- men fateor, me nullam assertionem in hoc opere omisisse eis quas Ecclesia proscriptis, cujus memoria apud aliquem scriptorem ex his quos videre licuit, habetur.

F I N I S.

AUGUSTIN. IN CANONICAM JOAN.

Omnia quæ leguntur in scripturis sanctis, ad instructionem & salutem nostram intente oportet audire. Maxime tamen me- moriæ commendanda sunt, quæ adversus hereticos valent plurimum, quorum insidiæ, infirmiores quosque negligentiores circumvenire non cessant.

SOLI DEO GLORIA.